



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Macarius Patriarcha. 10. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

232 VITÆ SANCTORUM. 10. April.
nulli hominum nisi Zosimo visa. Is divi-
no ductu ad eam venit, & vitæ seriem,
quam dedimus, audivit; cum sacro dein
epulo revisit, quod ut caperet M A R I A,
per Jordanem sicco vestigio advolavit.
Ita puram cum undæ jam probassent, se-
cundò redux defunctam in arena offen-
dit: anxio verò de sepultura leo superve-
nit, & fossam unguibus dedit, æternum
non tam pœnitentis, quàm miserantis
M A R I A monumentum. Ex vit. PP.

*Si criminum immanitate turbatus, si con-
scientiæ sceditate confusus, si iudicii horro-
re perterritus, si baratho desperationis ab-
sorptus es, Mariam cogita, Mariam invo-
ca: non recedat à corde, non recedat ab ore.*
S. Bern. serm. sup. Missus.

S. MACARIUS PATRIARCHA.

10. Aprilis.

MACARIUS Armenus Patriarcha
Antiochenam sedes beavit, sed mul-
tò magis pauperes, quos unos illi domi-
ni Palatinos, foris antambulones ha-
buit. Ob id, & quæ jam tunc patrabat
mira, ne in ore omnium esset, omnium
oculos fugit, & sub quo lateret igno-
bilis, sepulchrum Christi petiit. Sed Sa-
racenorum scelere ad ipsa ossa usque lace-
ra virtus, & tribus clavis pavimento af-
fixa, pressaque pectus ignitò saxo, ut ferè
solet, se ipsa podidit: prodidere Angeli in
auxi-

10. April. VITÆ SANCTORUM. 233
auxilium missi, ipsique jam hostes MACA-
R IUM, & quod caput est, in M A C A R I O
DEUM agnoverunt. Interea parentes suum
esse dedecus arbitrati, orbam filii infulam
filiumque exulem videre, mittunt, qui aut
verbis, aut vi adducant. Et jam parabant
hanc illi. Sed cælo pugnante capi oculis
manibusque, quas ad facinus extenderant,
MACARIO se dediderunt. Hic cruce, quæ
illi scipionis loco serviebat, oculos & ma-
nus reddidit, itaque expeditus exul orbem
deinde pererravit, Bojariæ quoque hos-
pes, demum Gandavum in Flandriam
pervenit, relictis ubique symbolæ loco
ingentibus miraculis, quæ unico suo sci-
pione dedit cruce insignito. Flandriam
cùm ditissima lues popularetur, sese cum
gemino socio vicariam urbis victimam
morti objecit, A morte geminum circ-
lum cæli ostenderunt & crucem in alte-
ro, ut sciremus, quò crux scipio illum ab-
duxisset. Sed numne M A R I A M amavit?
Non nisi in cryptâ eidem dicatâ sepeliri
voluit. Et verò ubi mollius ossa nostra ja-
cerent, quàm in sinu M A R I A E? *Ex Syr. &
Ras. S.*

*Bonum mihi Domine tribulari, dummo-
do ipse sit mecum, quàm regnare sine te, opu-
lari sine te, sine te gloriari. Bonum in tribu-
latione magis amplecti te, in camino ha-
bere te mecum, quàm esse sine te vel in cælo.*
S. Bern. serm. 17. Qui habit.